DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ mensis Februarii, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. JACOBO LUDOVICO ALLEAUME, Anatomes & Artis obstetriciæ in gratiam Matronarum Professore, Doctore Medico, Præside.

An propria Medici scientia œconomiæ animalis cognitio?

I.



UANTUM emolumenti rebus Medicis affert propria Medici scientia, tantum iis apportat detrimenti inutilis aut malè locata cognitio. Illinc veritatis, hinc opinionum origo. Si Medicus alieni curiosus quod sui pensi erat, imprudens prætermittat, hoc infelix subibit fatum nihil non experiri, absolvere nihil. Artifex erit, non qui in fingendo, sed qui in observando sedulus erit. Nova quantumvis cudat systemata, telluris, aquarumve lustret recessus; metallorum naturas scrutetur, exploret proprietates, nisi hæc omnia genuinæ corporis œconomiæ aptaverit, in perniciem erunt. Num tenet animo syderum influxus, oppositiones, conjunctiones? Cælum stultitiâ petierit; nisi dum orbium cælestium portenta tractare discit, connatos intelligat microcosmi motus, instituta, leges. Infelix! si vel extero orbi notus, sibi soli sit peregrinus. Stupendi quod habent mechanices & geometriæ theoremata, naturæ miracula quantumlibet explorato, sed cave putes his solis, contineri propriam Medici scientiam, imo, impedimento erunt nisi evolvendis animalis œconomiæ mysteriis inserviant. Quocumque se vertat Medicus, quidvis agitet consilii, huc unicè tendat oportet tota illius industria, partium actiones, nexus, sympathias, spirituum motus atque naturas;

humorum denique virtutes indagare. Verbo dicam arcanis corporis disciplinæ legibus erudiri, summum est Medicæ sapientiæ culmen attigisse.

I I.

OPTIME in arte Medicâ educatum existimes eum, qui sanitatem aut præsentem tueri, aut violatam restituere didicerit. Eò omnia se conferunt medentis vota. At verò quis feliciùs illùc pertinget quàm qui vitæ leges mortisque causas meditando fuerit assecutus? Duo publica sunt artis Medicæ instrumenta, Chymia nimirum & Anatome. Hujus præsidiis partium symmetriam, viscerum usus, alternantes succorum periodos, facilè quivis intelliget. Alterius ope humorum ingenia, spirituum indoles, salium, Sulphurumve energiæ, spirituum impetus, furores, elateres in propatulo erunt. His artibus, collatis naturæ legibus, morborum causas pervidet Medicus; signa, nomina, facies agnoscit, eventus odoratur. Nunquid ad medendum aptior fingi potest aut excogitari cognitio? Apage tot inutilia phantasiæ lascivientis commenta; procùl hinc opinionum figmenta, à vera medendi normâ animum avertunt. Tot fermè diceres fatuos ignes, quæ cum mentibus prælucere videntur, easdem ludendo perdunt. Quæ amamus systemata, ejusmodi sunt quæ naturæ nobis exprimunt opera, non quæ fulciendis præjudicatis opinionibus apta facta sunt. Naturam quam nos imitari decet, operantem contemplari juvat. Hanc Physiologiam Medico satis esse confidimus. Post rationem enim medicinam quærere, philosophi pars medicinæ rudimenta ne quidem ponentis. Ex œconomia animali depromptas medicinæ rationes addiscere, hominis est, artis nostræ pomæria promoventis.

I I I.

EX triplici partium genere pendet animale regimen. Continentes sunt, quibus non secus ac primis vitæ staminibus cæteræ fundantur. Contentarum nomine veniunt, succi quilibet suis receptaculis aut vasis contenti. Utrasque animant aut moderantur impetum facientes. Solidarum dum Eutonia viget, viribus suis utitur corpus; stat ubique inconcussa organorum firmitas. Quandiù integra servantur humorum fœdera, ex æquo retusis variis salium moleculis, ex discordium succorum concordia, ex ipsissimo dissidio pax alta nascitur. In tuto tranquillitas erit, si spiritus quâ nati sunt amicabili temperie, vitæ balsamum quoquoversùm diffundant. Ab ejusmodi triplici fœdere repetitur functionum harmonia. Inde sanitatis fontes. Hos omnes mutuos consensus qui perceperit, ipsas

vitæ leges fuit assecutus. Vera hæc est & propria medentis sapientia, ad cujus normam sua debet dirigere consilia. Hâc omissâ, in vanum arcana naturæ penetralia subit; perperàm Acidorum, Alkaliumve nomina effutiet; frustrà effervescentias frigidas, calidas, spiritus, sulphura mera crepabit. In tantùm hæc omnia medicinam adjuvant, in quantum corporis œconomiæ motibus, periodis, moribus consonant. Si Triplicis Materiæ proprietates fuerit persecutus, si Atomorum concursus mente teneat, an hæc medicinam in melius, an majus promovebunt? An multo securior erit medendi ratio? Revera his omnibus antecellet accurata corporis humani cognitio; quæ cum illius agendi rationes, motus, periodos aperiat, eorumdem errores & delicta docet emendare.

I V.

MEDENTEM ex arte curaturum existimes quem morbidæ origo causæ non fefellerit. Inde manant indicatores quæ curationis clavum & imperium tenere debent. Utrumque suggerit exquisita animalis œconomiæ scientia: resolutorum membrorum causas investigat? Præsto erunt, si alterna musculos inter & sanguinem commercia noverit; tunc enim nimiâ sæpe sanguinis mole aut fortiori impetu violatis continentium partium Elateribus, perit solidorum cum fluidis æquipondium: vult adhibere medicinam? In his reperiet quæ tumultuantis sanguinis insultus compescere valent. Humorum impuritate inquinentur succi vitales, suspenso liquorum motu à nativo tramite descifcant: mille ægritudinum modis viscera premuntur, corpusve perturbatur. Rationes quæris & remedia? Animo cogita quibus artibus à recrementis assiduè purgetur sanguinis moles. Hunc in finem quot indigeat incerniculis perpende; qualis & quanta esse debet succorum tenuitas & limpitudo, qui per tot anfractus, per tam subtilia cribra transmitti debeant; statim percipies qualem adhibendam habeas dexteritatem, ne male posito systemate aut quietis moras præceps contemnas, aut agendi tempora fidens prætermittas. Atque ut prudentis est Medici, si prodesse non possit, cavere ne noceat; illud imprimis arte ad naturæ imitationem comparatâ obtinebit ut nusquam peccet; sed captatâ semper rei ubique bene gerendæ occasione, vitatis hinc indè scopulis portum securus attingat.

V.

NUM corporis œconomiæ cognitio abstrusa nimis & obscura videbitur? Alteram quæ ex opinionibus ducitur, incertam magis esse comperies. Tam affabrè conspirans partium consensus,

tàm conveniens & adæquata earum proportio, nunquid non minùs imponent quàm ingeniosa quævis mentis humanæ figmenta? Hâc eâdem Creatoris providentiâ, quâ nihil conservationi nostræ defuturum erit, nihil utique legitimæ illius medelæ deficiet. Ideo tot in humano corpore conspicienda concessit aut abtulit intelligenda, ut veras illius curandi rationes insinuaret: Hinc ex artibus quibus carere nequit Medicus sapiens, primus Anatomiæ locus debetur. Absit tamen; suâ laude fraudetur ars Chymica; mutuam hæc œconomiæ animalis cognitioni præstabit operam. Dum enim ingenitas illius operationes æmulari satagit, veras illarum naturas interpretatur; hæc ipsa tamen infida ut plurimùm & fallax, si neglectâ naturæ corporis lege, superbientium manibus tractetur: suis enim, ut aiunt, manipulationibus unicè intenti, majoris arcani aut sulphuris cujusdam gloriosi specie vitam quidem ipsam instauraturos se pollicentur; interim animas negotiantur; & ad ea quæ ante pedes sunt pericula caligant. Sic hominum fraudes & ingeniorum capturæ magistram artem hominum saluti natam, ægrorum exitio plerumque vertunt; quæ ad naturæ leges, & animalis œconomiæ normam accommodata, mille præsidiis homines beat.

Ergo propria Medici scientia œconomiæ animalis cognitio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Anna-Carolus Lorry.

M. Bernadus-Nicolaus Bertrand.

M. Stephanus-Ludovicus Geoffroy, Scholarum Professor.

N. Dionysius Pautier de la Breuille.

M. Natalis-Andreas-Joannes-Baptista Chesneau.

M. Joannes-Franciscus Paris.

M. Jacobus-Albertus Hazon.

M. Claudius-Carolus de Jean.

M. Franciscus-Felicitas Cochu.

Proponebat Parisiis JOANNES DESCEMET, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1757.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1757.